Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1321

Quelle:
Copyright:

D. Joannes Cochleus Venerabili Viro Joanni Kos Sacre Script. licenciato Predicatori Lipſiæ, Salutem plurimam dicit. Quoniam quidem nos igitur gratia divina opitulante maledictum iſtum Lutherum conculcauimus, vt nobis amplius nec poteſt, nec vult reſpondere &c. Laudat *Cochlaeus* perſonatus methodum ſuam in exponendis Scripturae S. Locis, maxime, quod e loco *Jeremiae: Conſtitui te ſuper gentes* &c. eruerit, Eccleſiam eſſe ſuper verbum Dei, quam *gloſam*, ut ait, *omnes Lutherani in vno cumulo et omnibus brillis ſuper naſum poſitis non poſſent vidiſſe.* Finit: *et mihi quaſi per omnia ſimilis eſtis, quod vix puto excellentiſſimum Dn. doctorem Joannem Fabrum tam ſimilem mihi eſſe in hac arte. Valete et quod facitis, facite. Nunc autem ipſum Sermonem videamus.* Ut vero haec Epiſtola non ultimum e Schola *Obſcurorum Virorum* diſcipulum probat, ita *Sermo* ipſe ne quidem ulli Proteſtantium, cui Verbum Dei ſacrum erat, adridere potuit; irreligioſiſſimus enim per totum cento biblicus eſt, hoc initio: *Ex nihilo nihil fit, Fratres, nolumus enim vos ignorare de verbo, quod abbreviatum eſt, Vobis licet pigrum, mihi autem neceſſario, ait enim ſcriptura, quid ſuperbis terra et cinis? Sed nihil mihi conſcius ſum, et quod nihil habet, nihil dat.* &c. Et infra: *Tranſiens autem primam et ſecundam cuſtodiam venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem Salomonem, et interrogauerunt eum, Tu quis es? Et accuſauerunt eum in multis, maxime autem et domeſticos fidei; Videns autem quia placeret Judeis, aſcendens in arborem Sycomorum, et cum coepiſſet mergi, clamabat dicens, Domine ſaluum fac Regem* — Sed manum retraho, nam et obſcena intorquet profanus Conſarcinator.

CCCXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. 263
XV. Folior. 118. f. eleganter ſcriptus, rubricisque decoratus continet Scripta in cauſſa Aſſertionum *Johannis de Poly* ſive *Poliaco* Doctoris Theologi *Pariſini* et celebris Eccleſiaſtae Sec. XIV. et quidem I. *Judicium Fratris Petri de palude* (de la Palu) *ordinis fratrum predicatorum Magiſtri in Theologia contra Magiſtrum Johannem de poliaco doctorem in Theologia ſuper articulis qui ſecuntur.* Judicium hoc, quo ſingulis XIII. *Johannis* aſſertionibus ſua ſubjecta eſt refutatio, *Cod.* DL. indicatum eſt, fontesque oſtenſi, qui de hac controverſia, conflictuque Jurisdictionis inter Clerum ſecularem et regularem pertractant, quibus hic *Nat. Alexandrum Hiſt. Eccl.* T. VII. *Pariſ.* 1699. p. 96. f. addo. Initium eſt: *Primus articulus eſt, quod Epiſcopi qui ſuccedunt apoſtolis et curati diſcipulis ſuccedentes, totam auctoritatem ſuam et poteſtatem, eque et immediate habent a chriſto ſicut et dominus papa* &c. Finis: *poteſtate clauium nullatenus*